

Dissertatio inauguralis de pathologia sanguinis ... / authore Simone Kátser.

Contributors

Kátser, Simon.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Pestini : Typis Josephi Beimel, [between 1840 and 1849]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hrmpema8>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

D. Pet

23

DISSE^TRATI^O
INAUGURALIS.
DE
PATHOLOGIA SANGUINES,
AUCTORE
SIMONE KÁTSER,

MEDICINAE DOCTORE.

PESTINI.

Typis Josephi Beimel.

Versengve buzgunk a' tökély felé,
Nyomozzuk utját.

Horváth Cyril.

Das Vorwürfen rein factischer Tendenzen und das Verhorresciren der theoretischen Besprechung gilt auch heute noch als ein Köder, der auf die Masse wirken soll; aber im Grunde ist dieses Eifern für das rein Thatsächliche doch nur vorn eine Prahlerei und hinten ein Testimonium paupertatis.

Wunderlich.

Der Arzt hat eine große Aufgabe in der Gegenwart zu lösen. Krankheiten, besonders die Nervenübel, wozu seit einer Reihe von Jahren das Menschen Geschlecht vorzugsweise disponirt ist, sind das moderne Datum. Er muß, will er seinen Beruf mit Weisheit erfüllen, ein Eingeweihter sein, er muß gewissermaßen das Amt eines Priesters und Hierophanten üben. Mittel und Wege hat er aufzufinden, wozu ihm die *Materia medica* keine Anleitung giebt.

Immermann.

NAGYÉRDEMÜ ÉS TISZTELT

HOENIGSWALD LŐRINCZ

ÚR'

SEBÉSZ ÉS SZÜLÉSZ MESTERNEK

ÉS ENNEK TISZTELT NEJÉNEK

HÖENIGSWALD RÓZÁLIA

ASSZONYSÁGNAK

E ZSENGE PÁLYAMUNKÁJÁT BUZGÓ TISZTELETE
JELÉÜL AJÁNLJA

a' Szerző.

ПАСХАЛЬНАЯ

БИБЛІОГРАФІЯ

Історія та теорія писання та вивчення
біблійної літератури в Україні та за кордоном
з початку ХІХ століття до сучасності

Відповідь на питання про відмінність української біблійної літератури

з європейською та її місце в світовій літературі

Історичні та теоретичні проблеми вивчення
біблійної літератури

Media, quae nobis ad naturam sanguinis cognoscendam inserviunt, sunt :

1. Analysis chemica sanguinis, et eius producta.
2. Disquisitio anatomica sanguinis, partium solidarum et exsudatarum [tam sectione cadaverum, quam observatione ad lectos aegrorum.]
3. Experimenta, quae artificialem sanguinis mutationem producunt.

Inter haec disquisitio anatomica resultata habuit maxima. Concludunt autem Anatomi ex habitu exsudatorum ad crasim sanguinis momentis pathogeneticis bene perpensis. Sanguis interim in normali etiam statu pro varia aetate individui ita differt, ut in sanguine neonati de fibrina parum, prima vero virili aetati multum de ea contineatur; secunda virili aetate sanguis est albuminosus, aetas autem senilis penuria sanguinis characterisatur. Cum itaque probatum sit, quod diversa aetas diversam exsudati et morbi speciem agnoscat; nil mirum, si, mutatione sanguinis, provectioni aetati propria, jam ante tempus evoluta, aut crasi sanguinis, juniori aetati conveniente, in longius tempus protracta, varii morbi enascantur. Mutationem sanguinis in organismo tantum per phoenomena, utpote sequelas alterationis, et per turbationes in organis factas cognoscere licet. Turbationes ae differunt pro ratione circulationis abnormis capillaris : Hyperaemia et Anaemia, Apoplexia et Haemorrhagia; pro gradu mutationis sanguinis jam exosmosis partium constitutivarum adjuvatur vel difficultatur : Secretiones, Exsudata et Gangrena; iam pro influxu alterationis sanguinis in systema nervosum, cuius functiones et habitus mutantur : Dolores, Convulsiones, Delirium et Paralyses oriuntur. Secretiones normales variant etiam pro crasi sanguinis diversa, sed stae ex praecipitatis sanguinis partibus originem ducunt

propterea non sunt tam magni momenti. His praemissis variis sanguinis statum in sequentibus partibus exponemus.

I. Abnormis proportio quantitativa totius sanguinis.

II. Abnormis relatio singularum partium constitutivarum sanguinis.

III. Abnormis decompositio partium constitutivarum sanguinis in nexus simpliciore.

IV. Processus fermentationis in sanguine.

I. Abnormis proportio quantitativa totius sanguinis.

Plethora.

Plethora, Polyaemia, qua talis raro longiore tempore persistit, sed transit in alias sanguinis alterationes. Occurrit in aetate virili, ubi venositas praevalet, et vix offert momentum pathogeneticum. Circumstantiae illae, sub quibus plethora vera vel apparens magis evolvitur, non sunt sat cognitae; imo dantur organisationes, quae, quamvis nutriend paucum advehatur, et consumtio per adstrictiones et vitam vivaciorem acceleretur, tamen disponuntur in plethoram. Virili aetati plethora magis, quam reliquis convenit, quae forsitan diathesim plethoricam constituit, quamvis comparationes, supra proportionalem statum partium sanguinis aetati huic proprium, non constent. Generatim provocatur plethora nutrientis copiose assumtis, vita sedentaria, excretionibus suppressis et habituali venae sectioni intermissa. Antiquiores medici distinguunt plethoram relativam, et plethoram ad habitum, quod ita est intelligendum: sunt individua macra, quae post coenam laxam sumtam febricitant, aut congesti laborant, quae phoenomena disparent diaeta stricta observata. Sequelae plethorae esse possunt: gravitas capititis, languor, respiratio difficilis, copia major sanguinis molestia systema nervosum, et, si in gradu majori sit evoluta, accidunt sensus caloris, status animi exaltatus et pulsus frequens, quorum phoenomenorum complexus sub nomine febris venit. In nonnullis organis per hyperaemiam, vel laxitatem ad plethoram dispositis, oriuntur congestiones, quae absque noxa nonnunquam disparent, sed possunt etiam haemorrhagiam, exsudatum, catharrum abdominalem provocare. Plethora est germanus alterationis sanguinis diversae, et videtur magis ad albuminosam quam ad fibrinosam facere transitum; solet etiam in anaemiam transire, quia vasa sangu-

ne repleta novas particulas assumere nequeunt, et sic digestionem prosternunt.

Anaemia.

Non minus quam plethora distinguenda est anaemia ab aliis proportionatis sanguinis aberrationibus; nam evictum non est, an in anaemia aequale decrementum partium constitutivarum sanguinis locum habeat, vel quantitas sanguinis aberret, ut ejus qualitates mutationem subeant. Decrementum sanguinis est maximum anaemiae momentum, et in senibus persaepe obvenit, nullum constituens momentum pathogeneticum; reperiuntur nempe vasa in sectionibus vacua, sanguis est fluidior, coloris rubrobrunei. Quamvis anaemia in reliquis diathesis morbosa vocatur, tamen solet evolvi cum pubertate, initio aetatis virilis et post morbos exhaustos, uti Typhum, Colliquationes, et illa est causa lentae convalescentiae. Manifestat se anaemia secretionibus omnibus imminutis, calore animali minore, pallore organorum, aspectu sicco, et nonnunquam infiltratione serosa, obesitate, imprimis impotentia energice laborandi. Systhema nervosum in acuta anaemia ita afficitur, ut instantibus convulsionibus et deliriis morbus imaginem Typhi praeseferat; ipso in Typhosi diaetha restricta plus quam justum protrahitur, aeger per anaemiam perit. Evacuationibus profusis in Cholera orta anaemia, Typhum mentitur; marasmus infantum, convulsionibus stiatus, ab anaemia originem dicit, et talis marasmus occurrit etiam tempore pubertatis, imprimis apud puellas, semet manifestans retracta evolutione universali et sexuali, cui semet associant alia phoenomena Chlorosi communia; inde permuntant marasmum talem cum Chlorosi, multum tamen differt marasmus hic a chlorosi per emaciationem totius corporis. Saepe accedunt convulsiones, quarum forma differt ab illis aetati infantili propriis, nam convulsiones hae justum ordinem tenent et talis forma nota est sub nomine Chorea St. Viti et Catalepsiae. Non raro puellae tales sub fine morbi praebent phoenomena Typhi, quamvis nullae mutationes intestinis aut alibi reperiuntur. Non praetervidendum est etiam hoc, quod in viris complexus phoenomenorum, Hypochondriæ et Melancholiae proprius occurrat, cuius ultima causa in anaemia est querenda.

II. Abnormis relatio singularum partium constitutivarum sanguinis.

A l b u m i n u m.

Proportio albumini in sanguine tantum analysi chemica eruitur, et illa hucusque est tam imperfecta, ut inde aliquid deducere nec umbram verosimilitudinis praeseferat. In colligationibus decrementum albuminis reperitur, sed in variis morbis natura ab invicem tam diversis albuminum auctum esse ferunt. Reperitur in urina apud morbum Brightii, ubi evictum est, quod albuminum sanguinis jacturam patiatur, causa itaque albuminoriae in renibus latere videtur. Eodem jure dubitare fas est, an in nonnullis exanthematibus secretum seri et albuminis dyscrasiae sic dictae albuminosae sit tribuendum. Alii alia via volunt diathesim demonstrare ex habitu nempe exsudatorum, dicentes quod exsudata typhosa et carcynomatoso sint albuminosa; tuberculosa autem fibrinosa, sed non ab omnibus comprobatum habetur.

F i b r i n a.

Proportio fibrinae quantitativa in variis morbis varia reperitur, et jam hujus discriminis gratia magnum emolumen-tum praebet conaminibus medicorum in eruenda natura morborum. Significatio ejus physiologica est incerta; auctores nonnulli fibrinam habent pro producto metamorphoseos regressivae, nutritioni amplius non destinato, et originem juxta Simon sumit ex nucleis molecularum sanguinis detritis, quod probatur per rationem inversam copiae fibrinae ad moleculas sanguinis semet habentem. Suspicionem movent alii, quod albuminum et fibrina sint unius ejusdemque generis, et fibrina ex albumino generetur; prout nempe accessus oxy-genii, albuminum in fibrinam permutantis, maior fuerit, copia etiam fibrinae in organismo major generatur. Modificationes fibrinae in variis morbis sunt variabiles, quae nobis sistunt momenta sequentia.

A. Decrementum fibrinae Hypnosis juxta Simon.

Reperiuntur in tali statu sub sectione cadaverum: integumenta communia rigida, coloris obscuri, musculi sunt co-

loris rubrobruneti, organa interna coagulo sanguinis scatent, sanguis spissus, ater et nitens venas replet. In vivis characteristicum est: quod sanguis e vena emissus sistat magnam et mollem placentam, in sero rubello innatantem, et quod haemorrhagiae spontaneae sint frequentiores. Observantur in talibus individuis producta purulenta, infiltrationes et exsudata singularis mollitiei, quibus proprietas organisandi deest, imo facile delabuntur. Engel ex similitudine qualitatis sanguinis in Tipho, carcynomate, exanthematibus acutis, Tuberculosi milliari et Scorbuto, conatur assumere in his morbis hypnosim, vel, quod iuxta illum idem est, crasim sanguinis albuminosam, quamvis id chemice non sit comprobatum. Nos attentionem nostram dirigemus ad tales casus, sub quibus hypnosis observatur in sanguine, ut relationes ejus ad processum morbosum ertere valeamus. Post mortem subitam, ubi in sectione nulla causa mortis patet, nisi quod sanguis fluidior reperitur, possibile quidem est, quod qualitas sanguinis mortem causaverit; sed eodem jure fluiditas sanguinis pro effectu mortis haberi potest. Cel. Andral invenit hypnosim in sanguine individui Typho laborantis, et arridit pluribus per hoc, aerigma alterationis sanguinis in Typho solvere; sed in ultima analysi essentia Typhi non debet radicare in hypnosi, cum potius sanguis influxu nervorum regatur. Hoc tamen evictum est, quod hypnosis proclivitatem ponat ad haemorrhagias et hypostases, quae a debili tono parietum vasorum capillarium sunt derivandae, et quod in singulis partibus organismi partialis mors facile insequatur, uti in decubitu, et ulceratione intestinalium.

B. Incrementum fibrinae Hyperinosis juxta Simon.

Sanguis in tali statu e vena emissus sistit coagulum compactum; ubi fibrina pura in superficie separatur (crustaphlogistica). Sub sectione reperiuntur in cadaveribus organa compacta, vasa majora coagulo repleta quo magis cordi viciniora. Genesim hyperinosis quaerunt alii in respiratione accelerata sub febri, in quo casu oxygenium format copiam majorem fibrinae et languente nutritione novae partes crux non advehuntur; alii in crasi sanguinis universali. Explicant autem alii fibrinae genesim eo, quod transpiratione cutis aducta aqua et sales e corpore evehantur; unde augmentum fibrinae est tantum relativum. Ast augmentum

isthoc in nulla stat proportione cum reliquis partibus sanguinis, nisi supponatur metamorphosis rapida albuminis in fibrinam, et impedita dein excretione, fibrina accumulatur in sanguine. Hypernosis convenit morbis phlogisticis, sed non absque omni exceptione; nam saepe diagnosis morbi conditur qua Bronchitis vel Menyngitis, et tamen augmentum fibrinae non reperitur. In gravidis, puerperiis et saepe in phtysicis fibrina aucta reperitur, cujus causa facile explicatur eo, quod per impedimenta circulationis excretiones imminuantur, et fibrinae mutatio in ureum langueat. Manifestatio crasis fibrinosae acutae in certo organo praevallet, uti in pulmonibus aut utero, in quibus stases, dilatationes vasorum, dein transsudatio partium sanguinis semet excipiunt et exsudata ponuntur in organisationem prona, — propterea fibrinosa dieta, — vel exsudatum mox in pus convertitur. Hypernosis certum influxum exercit in secretiones, imprimis in secretionem urinae, quae morbo in incremento constituto parca fit, fracto autem morbo videtur fibrina precipitari, et urinae sedimentum ponunt. — In sequelam hujus crasis evolvitur marasmus et cachexia serosa tunc, si imminuta massa sanguinis coagulabilis quidem sit, sed quantitate sua non amplius sufficiat pro organismo.

Cruor.

Proportio cruoris diversa se habet ratione in variis morbis. Essentialis partes cruoris sunt: nucleus, globulinum et haematinum. Nucleus constat pinguedine et fibrina. Globulinum — notabilior pars — differt ab albumino minori quantitate sulphuris et phosphori; et tamen verosimile est, globulinum ex albumino chili generari et per oxygenium jacturam plane partium illarum induci. Ratio inter fibrinam et cruorem inversa potest jam ita explicari, quod ambae substantiae originem ex albumino ducant, et si una augeatur, altera necessario imminui debeat. Haematinum pro medio respirationis, oxygenium ad omnes partes organismi vehente, habetur.

Augmentum cruoris correspondet plethorae; obvenit in individuis vertigine, susurru aurium, palpitatione cordis laborantibus. Sanguis cruore dives e vena missus sistit placentam magnam obscuram et mollem, quia fibrinae copia est minor. Disponit ad congestiones, haemorrhagias morbos hepatis, minus ad inflammationes. In Chlorosi decrementum so-

Iummodo eruoris praevalet, unde pallor chloroticarum explicatur; copia vero fibrini et albumini, quo ipso ab anaemia differt, major adest, unde saepe obesitas in Chlorosi evolvitur. Delassatio et defatigatio puellarum chloroticarum confirmant affectionem systhematis nervosi. — Chlorosis combinatur cum Cyanose, transit in hypinosim, et si magnum gradum attigerit, cachexiam serosam et anaemiam post se trahit, quarum mutationum causa ex praecedentibus elucescit.

III. Abnormis decompositio partium constitutivarum sanguinis in nexu simpliciore.

Oxygenium.

Functio oxygenii in organismo locupletata est per chemiam recentiorem; est medium resolutionis, cujus ope partes omnes organismi gradatim praecipitantur. A necessitate hujus praecipitationis convincimur per laetales excessus in defectu oxygenii, causam tamen hujus phoenomeni reddere, si merae hypotheses veritatem non adaequant, omnino nescimus. Chemici conantur relationes febris et Tuberculoseos per majorem accessum oxygenii et inde ortam praecipitationem majorem partium organismi explicare, qualis explicatio physiologice non est perspicua. Verum accessus minor oxygenii provocat Cyanosim, cujus primae causae sunt obstacula viarum respiratoriarum; huc pertinent: infiltratio, atrophia, paralysis pulmonum, concretio pleurae, dilatatio cordis dextri, elevatio dyaphragmatis in plurimis morbis et distinguitur acuta et chronica, quae per phoenomena varia ex Therapia nota dignoscuntur. — Quoad crasim sanguinis, illa est varia in Cyanosi, quae tamen combinatur potius cum incremento cruoris, minus autem cum crasi sanguinis fibrinosae; si Cyanosis longiore tempore perduret, sanguis ita mutatur, ut affectiones hydropicae et scorbuticae evolvantur.

Aqua.

Excessus aquae in sanguine occurrit cum simultaneo defectu partium aliarum et provocat cachexiam serosam, causa hujus cachexiae invenitur partim in morbis partium solidarum, uti renum, cutis et cordis, partim in crasi sanguinis praegressa. Si hyperinosis praecederet cachexiam serosam, tum infiltratio sit partium cum sero viridiflavo; et intercurrentes in-

flammationes ponunt exsudata seroso-ichorosa; si autem hypnosis praecederet, infiltratio locum habet cum sero rubello, quae qualitates infiltrationis facile explicantur ex natura fibrinosa sanguinis.

Manifestatur talis cachexia languore, somnolentia, catarrho membranarum mucosarum cum excretis aquosis; sub initio morbi observatur depositio adiposa, serius infiltratio, praeterea cutis languida et frigida, öedema oritur et disparet, donec ultimo hydrops cellularis aut membranarum serosarum evolvitur. Diuretica et laxantia pro momento immimunt accumulationem hydropicam, attamen simul accelerant cachexiam, nisi haec remedia in conubio cum sic dictis tonicis porriguntur.

Ureum et acidum uricum.

Reperitur in urina sani hominis tam ureum quam acidum uricum, et hoc ultimum se habet relate ad ureum uti 1: 30. Utraque sunt producta decompositionis sanguinis qualitate nutriendi destituti; mutationem hanc sanguinis probat cel. Liebig palpabili modo formulis chemicis. Generatur ex nexu proteinae cum oxygenio et aqua. Producta haec tali modo semet excipiunt, ut primum generetur acidum uricum, et ex eo demum ureum. Cognitio tam exacta processus horum productorum, facilitat nobis eorundem abnormitates in morbis justo valore aestimare. Quantitatem urei et acidi urici solemus in praxi determinare ex copia relativa urinae, quod erroneum est, quia in morbis urina est concentrator, augmentum itaque tantum relativum obtinetur; sed deberet fieri in absoluta copia urinae certi temporis.

Abnormitates harum substantiarum sunt sequentes.

1. Ureum et acidum uricum absolute ad aucta. Proportio talis juxta chemicos reperitur in Tuberculosi, quamvis in absoluta copia urinae non semper probatur, et medici alii de proprio morbo diabetico loquuntur, causamque derivant ab irritatione renum, inde tractamen cum Opio.

2. Solum acidum uricum absolute est ad auctum, ureum autem imminuitur, talis proportio est temporanea in omni febri, et ista remissa, urina ad normam redit, vel est perpetua sub aliis circumstantiis hanc provocantibus. Ultimus hic casus a medicis anglis sumitur pro propria diathesi acidi urici; conamina tamen recentiorum processum formationis acidi urici clarius illustrant, quin ad

novi morbi speciem constituendam confugerent, (et haec est ratio, quod in praecedentibus tractatibus, caligine hypothetum obtectis, resultata horum tam parum luminis ad proxim contulerint, quia processus physiologicus nos latebat.) Loco diathesis igitur valemus causas solummodo augmenti acidi urici reddere, attentionemque tantum in illas dirigere. Tales causae sunt sequentes: nutritio lauta animalis, quo in casu accessus oxygenii decompositionem perfectam non valet perficere, et productum urei ex acido urico retardatur; assumptio ciborum parum nutrientium; obstacula circulationis per compressionem pulmonum et vitia cordis; febres; typhus et exanthemata, in quibus augmentum acidi urici compensatur defectu urei, et accessus oxygenii per respirationem quidem adaugtam sed etiam brevem non est tam magnus, ut majorem decompositionem provocaret. In morbis hepatis et lienis reproductio acidi urici aucta dicitur, imo color urinae pigmento obscuratur, sed desunt momenta, ut relationem physiologicam ad hos morbos perspiciamus.

3. Augmentum apparen s acidi urici. Si nempe acidum hoc ex conubio suo in urina per aliud acidum, jam in urina contentum, aut sub asservatione urinarum formatum praecipitatur, quod facile occurrit in catarrho viarum urinariarum.

4. Decrementum et acidi urici et urei simultaneum. Resultatum hoc experimento obtinetur, si nempe nutritio fit alimentis nitrogenio destitutis, quo in casu post paucos dies obtinentur urinae dimidio urei et pauciore quantitate acidi urici orbatae. Praeterea nutrimenta vegetabilia imminuunt haec producta et imprimis ureum duabus-tertiis sui partibus decrementum capit. Suspicionem movent, quod producta haec nitrogenium tenentia sub his circumstantiis imminuantur, in quibus decompositio partium tam parum, quam lente procedit. Resultata haec non sunt sat aestimata in condenda diagnosi morborum, et majori adhuc in gradu debent secretiones acidi urici et urei imminui, si decompositio alterius generis oritur in sanguine, uti sub Diabete mellito et in statu putrido, aut degeneratione renum secretionem impediente.

5. Ultimum momentum est incrementum partium nitrogenium tenentium in urina, postquam partes hae pro tempore in decremente fuerant. Haec est mutatio urinarum, quae sub nomine crisis est nota, et jam supra monuimus, quod tantum copia absoluta urinarum certo

tempore excretarum in censum sit sumenda, et non copia relativa, in qua augmentum est tantum apparet.

Phosphates.

Phosphates in urina originem sumere possunt ex assumptis cibis vel ex praecipitatione partium organismi phosphorum tenentium, et sub tali rerum statu resultata chemica et physiologica parum contulerunt, ut morbosum augmentum vel defectum phosphatum in urina aestimare possimus. Observatores in eo conveniunt, quod in catarrho vesicae urinariae deponitur sedimentum phosphatibus scatens, licet attamen supponere, sedimentum istud non ex absoluto incremento salium phosphaticorum oriri, sed per mucum, carbonas amoniacum ex urina praecipitari. Urina itaque sit alcalina et sales phosphatici tantum separantur ex suis conubiis jam in statu normali praesentibus. Recentiores mentionem faciunt de morbo phosphatico, vel diathesi acidi phosphorici, cuius nota characteristic a est sedimentum a phosphate ammoniae, vel phosphate calcis scatens. Symptoma, quibus status hic semet manifestat, sunt sequentia: irritabilitas nervosa, respiratio spasmodica, motus spasmodicus intestinorum, modo diarrhoea, modo obstipatio, sensus debilitatis et fatigationis et dolor profundus juxta spinem vertebralem, saepe affectiones Athritidi convenientes. Affectiones tales modo descriptae persaepe reipsa obveniunt, neque dubitare licet, quod in individuis decrepitis occurrant saepe sedimenta phosphatica et calculi urinarii; nec multum a vero alienum est statuere quantitatem phosphori nervorum et ossium per sedimenta deponi; ut tamen liceat diathesim acidi phosphorici assumere, debet prius evinci, hanc reipsa ab incremento absoluto phosphori in sedimentis urinaram adinventi repetendam esse, opus erit porro nexum physiologicum demonstrare inter symptomata observata, et hanc secretionem adauetam.

IV. Processus fermentationis in sanguine.

Si conceptus fermentationis in pathologiam introducatur, debet prius exponi, quid nomine hoc intelligendum, antequam ad certos processus in organismo peractos fermentatio accommodetur. Chemia recentiore evictum est, quod fluidum antea in statu quietis constitutum possit excitari ad mutationem elementorum suorum, per substantiam, in

actione chemica constitutam, quae cum priore in contactum immediatum semet ponit. Processus modo descriptus adhuc non est fermentatio, quamvis in fermentatione etiam processus per corpus idoneum, nempe fermentum adjuvetur; nam fermentatio tantum locum habet in substantiis compositis adminimum oxygenio carbonio et hydrogenio, saepe etiam nitrogenio, constantibus, quae substantiae capaciores sunt elementa, e quibus constant, permutandi, et corpus peregrinum, qua fermentum, non est essentialis conditio fermentationis. Ex his appareat, quod mutationes in organismo per accessum oxygenii perfectae et ad vitam sustinendam necessariae adhuc non sint fermentationes; solum hoc concedere licet, quod dentur processus in organismo, uti: digestio, formatio acidi lactici, qui fors per fermentationem oriuntur. Aliter res se habet in statu pathologico, ubi saepe observamus ex parva hyperaemia pustulas evolvi vel ex stagnatione sanguinis gangrenam oriri, in his casibus verosimile esse videtur, sanguinem in vasis contentum, causam esse harum mutationum; et re ipsa in exanthematibus contagiosis, Typho, pustula maligna, et in aliis morbis specificis assumimus talem alterationem sanguinis, et hi sunt morbi, in quibus fermentatio sanguinis pro ultima causa hujus processus statuitur.

Imprimis Chemiei, praeeunte cel. Liebig, detectionibus suis tam utilibus quam momentosis correpti, amant omnes processus morbosos chemice explicare; et quia in morbis memoratis producta nova per totum corpus disseminata occurunt, volunt ex analogia cum generatione faecum per fermentationem statuere fermentationem sanguinis. Nostrum autem est, complexum phoenomenorum perpendere, omnes relationes organismi ad lectum aegrorum physiologice perscrutari, proinde tunc solum possumus concedere hanc hypothesisim, si demonstretur, quod dispositio in hunc processum lateat tantum in substantia quadam organismo propria, et si nominarentur partes illae organismi, quae sub hoc processu aliter se habent quam in normali suo statu. —

Quod absque processu fermentationis exanthema oriri possit, videmus in scabie, qua uti hoc iam extra omne dubium positum est, per animaleculum parasiticum propagatur, cuius nidulatio in qualicunque parte organismi irritat texuram et causat exsudationem. Fermentatio itaque non est unica salus ad explicandum processum morborum contagiosorum. Cujus rei mentionem in hoc opusculo non fecissemus, si non in specialioribus casibus coacti essemus statuere fermentationem in organismo vel potius in sanguine,

Accedit nempe, quod substantia peregrina in decompositio-
ne chemica constituta admisetur sanguini vasis contento, et
in sequelam hujus status sanguinis, excretorum et produc-
torum natura ita permutatur, ut reproductio et decompositio
in organismo a normali statu ex toto differant, et quasi putre-
dinem redoleant. Status talis morbosis, quem statim in con-
creto sub capite sequente exponemus, jam verosimillimum
reddit processum fermentationis in sanguine.

Infectio putrida.

Effectus laetalis infectionis putridae tam experimentis
quam observationibus ad lectos aegrorum comprobatur; car-
ne putrida in venam jugularem canis injecta statim instabat
dyspnoe, excretiones, alvus sanguinolenta et gelatinosa, pro-
stratio virium et post spatium trium horarum insequebatur
mors. Sectione facta petechiae repertae sunt pulmonum, cor-
dis et intestinorum. Phoenomena jam similia observantur eti-
am in aegro, sectionis occasione, vulnerato; ubi materia ca-
daveris in organismum devehitur, mox sequuntur noctes in-
somnes peractae, febricitatio, colica öedema, excretiones foe-
tentes cum sopore et deliriis, sub talibus phoenomenis ae-
ger extinguitur. Causa mortis in his casibus non altera
quam processus mutationis sanguinis per materiam peregri-
nam provocatus, seu fermentatio sanguinis locum habuit. In
gangrena nosocomiali superficies vulneris prius boni indo-
lis pus secernens subito per miasmata mutatur ita, ut secre-
tio fiat ichorosa, pulsus evadat parvus, cutis sicca, emesis,
diarrhea sudor profusus et ultimo mors insequantur; hic ita-
que **localis** affectio effectum in totum organismum exercit,
cujus ratio tantum in sanguine per processum proprium mu-
tato est quaerenda. —

In contagiis et epidemiis adnotantur febres, quae simi-
lia phoenomena praebent, hae juxta antiquiores auctores no-
minantur febres putridae, aut febres cum complicatione pu-
trida; tales epidemiae pro certo decurrunt cum phoenomenis
Typho, **Dissenteriis** et **exanthematibus** contagiosis propriis,
sed, quia materia putrida insimul occasionaliter in nosoco-
miis evolvitur, et substantia haec putrida cum parte aliqua
adfecta organismi in contactum ponitur, tunc nova pheno-
mena resolutionis sanguinis semet associant ad morbum con-
tagiosum. Processus itaque talium febrium est duplex, unus
nempe epidemicus vel contagiosus, alter autem per conta-

ctum substantiae putridae communicatur, et agit tali modo in sanguinem, uti materia putrida in venam jugularem animalis injecta. Haec etiam est ratio, quod e. g. in epidemia dysenterica nosocomiali individua nonnulla leniter afficiantur, et iterum aliorum individuorum vulnera aut ulcera per materiam putridam afficiantur, quin dysenteriam patientur. Ex his appareat, quod processus fermentationis sanguinis provo-
etur tantum per substantiam putridam in atmosphera noso-
comiali volitantem. Homo sanus jam per epidermidem et epi-
thelium tuetur contra affectionem materiae putridae, sed si
jam individuum est debilitatum, aut si vulnus vel ulcus pree-
sens fuerit, aut si insimul regnet epidemia, tunc facillime
processus fermentationis laetales suos exercet effectus. In
puerperio laesi parietes uteri medium praebent substantiam
laetalem recipiendi, et jam pus in organismo enatum et per
sanguinem in totum corpus evectum solet illas strages mor-
borum puerperalium edere; rem hanc optime Engel exposuit,
et ille primus fuit, qui processum fermentationis san-
guinis collocavit etiam ad infectionem purulentam. —

Processus septicus producit fermentationem impetu-
sissimam omnium specierum, quas noscimus. Sublevat ac-
cessum oxygenii vel ad minimum coercet, generat producta,
quae nunquam in normali statu sola hyperaemia generantur,
provocat explosionem nervorum vel functionem eorum deli-
git, et invincibili modo dicit ad tumulum. Quamprimum sub-
stantia in actione chemica constituta in circulationem sanguini-
nis rapitur, processus septicus sequi debet, et non multum
interest, qua via substantia haec suscipiatur. Ut plurimum vi-
detur per pulmones et vulnera suscipi, minime autem per
ventriculum, ubi liquidum aliud praesens est, quod fermenta-
tionem impedit. — Dantur etiam casus, quibus in ipso or-
ganismo processus putridus generatur. et tales sunt: reten-
tiones urinae et bilis, quae phoenomenis mox levioribus mox
gravioribus decurrunt. — Processus fermentationis eo minus
restringitur, quo maior est substantiae penetrantis copia,
quo majoris est intensitatis et durationis, quo magis circum-
stantiae aliae processum fermentationis adjuvant.

Ars in tantum conferre potest ad processum hunc sub-
levandum, in quantum conatur accessum substantiae putri-
dae impedire, aut illam jam susceptam delere: Amputatio,
caustica, provocatio novae inflammationis in peripheria partis
adfectae. — Sperant ab acidis mineralibus, quod fermenta-
tio per haec directe impediatur, a purgantibus et sanguinis
depletione, quod pars substantiae deleteriae eliminetur: a

sic dietis nervinis, quod energia nervorum suscitata vita eiusque prolongetur, donec processus in sanguine finem attigerit, et periculum superatur.

THESES DEFENDENDAE.

- 1. Detectiones medicinae recentioris ducunt ad explicationem processuum morborum, sed non ad condendos novos morbos.**
- 2. Morbi epidemici radicantur in turbata mixtione sanguinis.**
- 3. Causae hypochondriae saepe in anaemia sunt quaerendae.**
- 4. Endocarditis sola auscultatione cognoscenda in causa est saepe intensitatis febris.**
- 5. Medicus rationalis consiliatur temperamentum aegrotantis.**
- 6. Organismus non pro lubitu chemicorum qua olla sanguine repleta considerandus, hinc**
- 7. Chemia felici in nexu cum Physiologia et Anatomia-pathologica emolumentum est medicinae.**
- 8. Urinae sedimentum in tantum crisis nominari meretur, in quantum per id dyscrasia tollitur sanguinis.**
- 9. Morbum sanabo, nomen nescio. Sydenham.**
- 10. Morbi utriusque sexui communes aliquo discrimine tamen notantur.**